

24.

D. D. G. M. S.

DISSERTATIO

DE

N E X U  
SCIENTIAS  
MATHEMATICAS  
INTERCEDENTE,

QUAM,

CONSENT. AMPLISS. FACULT. PHILOS. IN  
REG. ACAD. ABÖENSI,

Publice examinandam sicutunt

AUCTOR

MARTINUS JOHANNES  
WALLENIUS

PHIL. MAG.

ET

RESPONDENS

STIP. REG.

JOHANNES WESTZYNTHIUS, *Magn. Fil.*

OSTROBOOTHNIENSIS,

Die XIV. Junii Anni MDCCCLV.

L. H. Q. S.

ABOE, impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

80.

L' e Magister Pasander

à MADAME  
De BROWALLIUS,  
Née D' EHRENHOLM.

MADAME.  
MARTINUS JOHANNES  
WALLENUS

**N**on obstant que la Vertu soit en elle même un bien inestimable, il faut convenir que, lorsqu'elle est accompagnée de la fortune, elle en reçoive un nouveau lustre. Car le mérite de ceux, qui sont régalez des biens de cette même fortune, se trouvant à l'épreuve de ses flateries, est d'autant plus à estimer, qu'il ne s'en laisse pas corrompre, ni ne succombe à de telles tentations. Il y a encore d'autres circonstances, qui relevent & rendent plus brillantes les bonnes qualitez des hommes fortunés. Le public ayant

ayant les yeux fixés sur eux, leurs perfections se font bien plutôt appercevoir; ce qui est aussi la cause pourquoi elles s' attirent l' admiration & les louanges, qui leur sont dues, & animent bien d' autres personnes à imiter de si bons exemples. Enfin ceux, qui se voyent comblés de ses biens, se trouvent par là en état de répandre sur plusieurs les fruits de leurs vertus & de les obliger par des bienfaits.

Voilà les simples réflexions, qui se sont présentées à mon éffrit, lorsque j' ai pris la hardiesse d' ordonner ce petit ouvrage de Votre Illustre Nom, MADAME, Vous à qui la providence a accordé tous les avantages de la fortune, lesquels ne peuvent certainement qu' augmenter l' éclat de Vos rares Vertus & des dons de la nature, que Vous possedez.

Le souvenir des bontez, dont il Vous a toujours plâ, MADAME, honorer la maison de feu mon Père, m' est un motif assez suffisant de Vous dédier ce peu de lignes & de m' adresser à la grace & à l' humanité, qui Vous est si naturelle & principalement convenable aux grands. Daignez donc, je Vous en supplie, accepter ces pages comme un gage du profond respect, avec lequel j' aurai l' honneur d' être, tant que je vivrai,

de MADAME

Le très humble & très obéissant  
serviteur  
MARTIN JEAN WALLENIUS.


## Til Herr RESPONDENTEN.

## MADRIGAL.

**G**ack lycklig til det rum,  
Min Wåne Bror, der guld från glitter skiljes;  
Der fanning rå'r, men falskhet blifwer stum!  
Gack prydd med wishets smycke!  
Wis wårda halten af et wårdigt stycke,  
Och stå med tapper mun en wårdig Auctor bi!  
Dit snille tog doch dygd och bokwett re'n  
I födf'len fasta på;  
De ledde Dig altse'n;  
De sku' ock see Dig i den raden stå  
Som Lagerkrönte bli.  
Men jag är Dig så starkt med kårligt blod  
förbunden,  
At jag af all Din lott ta'r del i hjertegrunden.

mechanic who worked over 3,000

**OLOF WESTZYNTHIUS.**



## §. I.



Isciplinas, quæ Mathematicarum nomine veniunt, sublimi interscientias loco eminere facile deprehendet, qui vel summum quo gaudent certitudinis gradum, vel rerum sublimitatem, vel deniq; veritatum ac inventorum, quorum sunt feracissimæ, multitudinem & maximum in aliis scientiis æque ac in vita communi usum paulo attentius consideraverit. Habet autem Thesis pro objecto quantitatem quamcunque, quantum ad alias cognitas eadem relata æstimari & cognosci potest. Dum hanc ipsam in genere, abstractendo a rebus, quibus inest, contemplatur, ex notionibus distinctis & primo quidem simplicissimis, ope axiomatum evidentissimorum, sola ratiocinatione, non accedente experientiæ adminiculo, quantorum affectiones ac mutuas relationes eruit. Quando autem in consideranda quantitate affectionibus rerum naturalium mensurabilibus in-

A

existen-

existente versatur, eorum, quæ in Mathesi pura generaliter tradita sunt, applicatio ad res singulares fieri nequit, nisi ubique in subsidium vocata cognitione sensuum beneficio haurienda. Et enim non solum qualitates ac mutationes corporum, de quorum quantitate determinanda quaeritur, sed & eorum, quæ ad illa cognoscenda mediorum instar aliquo modo concurrunt, per experientiam sedulo observare oportet. Quamobrem etiam, cum instrumentoru*w*usu hic carere nequeamus, ad hæc construenda & tractanda affectiones materiæ, ex qua conficiuntur, ignorare haud licet. Cum itaque in Mathesi mixta ad finem propositum obtinendum plurima data & cognita per experientiam supponantur, quorum tamen investigatio multum saepe difficultatis habet; mirum non est quod hic non semper æquè feliciter ac in pura Mathesi quæstiones resolvantur, nec omnimoda adcuratio in potestate nostra sit, aut in puncto omnia definiri possint. Ut autem taceamus sufficere talem cognitionem, quæ scopo satisfaciat, quamvis non omnibus numeris absoluta sit, & errores insensibiles pro nullis haberi posse; simul patet, quæ hic incerta aut erronea occurrunt, scientiæ nostræ vitio non esse tribuenda. Quinimo dubio earet multis cognitionis humanæ partibus ex Mathesi plurimum luminis adfulgere, & quemadmodum inter communissimas rerum finitarum affectiones hæc etiam in primis referenda est, quod determinata quantitate sive molis, sive virium, qualitatum ac operationum

tionum gaudeant; ita usum Matheſeos in aliis ſci-  
entiis & vita humana tam late patere, ut hoc  
quoque respectu vix ulli ſcientiarum sit ſecunda.  
Hinc neque partium Matheſeos applicatae, quarum  
aliæ aliis generaliores vel ſpecialiores ſunt, adeo  
definitus conſtitui potest numerus, quamvis  
certa quædam Scientiæ Naturalis capita atque  
artes nonnullæ, in quibus præcipue inſignis Ma-  
theſeos influxus hactenus conſpicuus fuit, ſub i-  
ſto titulo comprehendendi fere soleant. Quemadmo-  
dum itaque uſus Matheſeos ad res naturales varii  
generis extenditur, quas autem nexus admirando  
conjunctionas voluit Sapientiſſimum Numen; ita vel  
hinc jam haud vana conjectura colligere licet: ma-  
thematicam unius objecti cognitionem determina-  
tionibus aliarum rerum mathematicè cognoscendis  
multum ſæpe inſervire poſſe, ut adeo mirum non  
ſit quod partes Matheſeos, ſi rite pertractari pote-  
runt, non ſolum aliæ ab aliis haud raro veritates  
aliquas mutuari debeant, ſed etiam totæ quantæ  
ſunt dependeant. Nexus ejuſmodi has disciplinas  
intercedentem non quidem iuſta tractatione expo-  
nere, ſed leviter tantum adumbrare & quidem  
partim ad rationes generales revocare, partim non-  
nullis ſparſim adducendis exemplis comprobare in  
hiſce pagellis conſtituiimus.

## §. II.

**Q**UAMVIS non temere Arithmetica in Geometriam  
introducenda fit; in praxi tamen bujus ipſi con-  
junctioniſſima erit. Arithmetica, disciplinarum Mathe-

maticarum simplicissima, quanta omnia ex partibus æqualibus composita concipit, & abstrahendo a reliquis omnibus, quæ istis quantis præterea competere possunt, harum multitudinem vel relationem unicè quærerit, huncque in finem affectiones numerorum scrutatur & ex certis datis alios, qui ab his modo nobis cognito pendent, invenire docet. Geometria, quæ extensorum doctrina absolutitur, considerat eorum genesis, diversas figuræ, quæ ex his consequuntur variæ proprietates, & qua ratione extensa quævis ad alia, ejusdem æque ac diversæ speciei, referantur; quæ omnia ad numeros non revocata sæpe felicius inveniri, accuratius determinari, plenius intelligi & nexus magis convenienti tradi possunt. Non itaque numeri hic adsciscendi sunt, quoties iis commode carere possumus. Cum autem Geometria Practica magnam partem comparata sit ad extensorum magnitudines metiendas, quæ vero aliter æstimari nequeunt quam determinando quoties data mensura iisdem contineatur; vel ex eo patet has ipsas numeris esse exprimendas & resolutiones problematum per calculum expediendas, ideoque diætas scientias nexus indissolubili conjungi debere. Et ipsa quidem *Trigonometria* cum *plana* tum *spherical* non nisi partes Geometriæ sunt, quæ ab *Arithmetica* supputandi artem mutuantur.

## §. III.

**H**is Scientiis junctim sumtis partes Mathematicæ omnes superstrui, usum & applicationem illarum

larum ad varia objecta monstrantes, ex ipsa notione Matheseos mixtae & supra dictis sponte sequitur. Et ista quidem applicatio eo latius patet, quo commodius Geometria non iis tantum corporum affectionibus astimandis inservit, quæ extensionis limites habent, sed etiam illis, quæ gradus intensitatis admittunt ac proinde modo quo cunque mensurabiles sunt. Hæ scilicet lineis, superficiebus ac solidis repræsentari, ut & numeris ex Arithmetica petitis exprimi possunt, quo diversi earum gradus inter se contendi queant, sive que ratio horum mutua patescat.

Et hæc quidem generatim de utriusque hujus disciplinæ influxu in illas, quæ nomine Matheseos applicatae insigniuntur, nominasse sufficiat, ne de singulis eundem in sequentibus sigillatim inculcare aut exemplis probare opus sit, cum plena earum pertractatio ab instituto nostro plane sit aliena, exempla vero in veritatem adeo universalem & omnibus facile obviam adducere ineptum.

## §.IV.

**P**er universam Mathesin etiam Algebra cum calculo infinitesimali usum maxime insignem exserit. Quantitates nempe quascunque ars analytica aptis characteribus exprimere docet, & singulari artificio non minus plurima problemata arithmeticæ egregia sed intricata resolvere, quam in Geometria elementari æquè ac sublimiori multa maximo compendio invenire ac demonstrare, ad quæ alioquin non nisi prolixiori ac difficultiori via pervenire licet.

Sic methodum suppeditat faciliorem æquæ ac certiorem logarithmos numerorum ut & angulorum sinus & tangentes tam naturales quam artificiales inveniendi; quorum investigatio ut usum habet amplissimum, ita illa, quæ solis Arithmeticæ & Geometriæ elementaris principiis nititur, laborem incredibilem & maximè tædiosum requirit. Commodorem illam logarithmos numerorum vulgarium per series computandi rationem in primis succinctè expositam videre licet in libello non ita pridam lingua vernacula edito. Ad dictum vero usum trigonometricum scientiæ nostræ quod attinet, præterquam quod illa methodum tradat ex radio atque sinu & cosinu, tangentे aut secante arcus simpli inveniendi sinus, cosinus tangentes aut secantes arcuum quorumcunque multiplorum; Illustris Newtonus series excogitavit, quarum ope ex datis arcubus sinus & cosinus eorum supputari possunt. Cumque hæ series crescente arcu lente admodum convergant, Joh. Keillius ex iisdem alias similes deduxit, in quibus tamen plura data supponuntur. Eulerus denique methodum invenit facilem computandi angulorum sinus & tangentes tam naturales quam artificiales, quæ nititur methodo ipsius valores plurimorum productorum ex infinitis factoribus determinandi. Inde nimirum elicuit series valde convergentes pro inveniendis sinibus, tangentibus & secantibus eorumque logarithmis, qui logarithmi per hanc methodum absque cognitis ipsis sinibus & tangentibus inveniri possunt, vid. *Act. Erud.*

Lips.

*Lipſi. A. 1753. p. 308.* Tantum vero abeft ut intra hos terminos ſubſiftat utilitas calculi analyti- ci, ut ad longe ſublimiora progrediatur, proble- mata diſcillima reſolvere ac theorematuſ abſtru- ſiſſima invenire doceat aditumque patefaciat ad ea penetrandi, quæ alioquin omni perſpicaciæ in- genii humani inacceſſa manerent. Quatenus ita- que tantum perfectionis addit Mathesi puræ ejus- que complementum quaſi eſt; non potest non eo ipſo in Mathesi applicata uſum habere ampliſſi- muſ. Testatur fane recentius immutata ſcientia- rum mathematicarum facies, ad quantum perfe- ctionis fastigium evectæ quantisque incrementis auſtæ ſint ope Analyſeos, quæ clavis optimæ vi- cem hic ubique gerit, ideoque Matheſeos universa- lis nomen haud immerito tuetur. Et mirari o- mnino convenit quantum ejus beneficio præſtitu- rint in *Mechanica, Astronomia Physica, Scientia Na- vali &c.* recentiores.

Quæ ſub finem §. præced. monita ſunt, hic de Analyſi repetita volumus, cum quo minus ad ſpecialiora hic deſcendamus nimia rei prolixitas prohibeat. In ſequentibus itaque ſolum de nexu, quo Matheſeos mixtae partes inter ſe junguntur, dicendum nobis erit.

## §. V.

*I*n Geometria practica aliae Matheſeos mixtae par- tes uſum habent. Quod Mechanica in praxin Geometriæ influere queat, uno vel altero exem- plo indigitaffe ſufficiat. Sic chordæ multum longæ, tenuis

tenuis & libere pendentis metiri licet longitudinem, si pondere appenso in motum oscillatorium redigatur, qui cum vibrationibus penduli datae longitudinis comparetur. Sunt namque longitudines pendulorum in ratione duplicata temporum oscillationum per arcus similes aut admodum exiguo peractarum. Quod artificium tum imprimis usui esse potest, quando superior chordæ extremitas quacunque de causa conspectui nostro subducta est. Similiter altitudo aliqua aestimari quodammodo poterit ex tempore quod grave per illam cadendo insumit; modo observatum fuerit quantum spatium grave ex quiete libere descendens certo tempore emetiatur; spatia etenim ab initio motus percursa sunt inter se ut quadrata temporum. In *A. etis Reg. Svec. Scient. Acad.* A. 1745. p. 152. et iam exemplum quoddam occurrit ostendens: principia mechanica questionibus quoque pure geometricis illustrandis infervire posse. Porro dum in campo lineæ rectæ designandæ sunt & radii visorii pro talibus habentur, ex *Optica* notum supponitur, lumen per lineas rectas, in eodem medio, propagari. Principia *Catoptrica* modum quendam subministrant ope speculi plani altitudines inveniendi. Geodæsia interdum a *Dioptrica* usum Tuborum opticorum mutuatur. Præterea etiam eorum in primis, qui in metiendis altitudinibus occupantur, ex eadem scire interest: radios luminis, dum media diversæ densitatis transeunt, a recta via detorqueri idemque in atmosphæra nostra obtine-

tinere, cum aér inferior densior sit superiori, ( id quod ex *Aërometria* constabit); hanc denique refractionem eo esse majorem, quo magis aér prope terram vaporibus abundat. Inprimis, si praxi geodæticæ sua constabit veritas, extra dubitatis aleam ponendum est, radios lucis, utcunque in atmosphæra refractos, a plano suo verticali non deflectere. Juvabit etiam ex *Aërometria* cognovisse qua celeritate sonus progrediatur. Hac enim explorata, de distantiis locorum judicari potest, modo observatum simul fuerit tempus, quod illis percurrentis sonus impendit. Quem in finem talia adhibentur corpora, quæ lumen ac sonum simul emittunt, atque tempus quæsitum æquale censetur moræ illa momenta intercedenti, quibus lumen visu & sonus auditu percipitur. Cui regulæ tuto fidere non possemus, nisi per observationes & calculos *Astronomicos* prius constaret motum luminis tanta gaudere perniciate, ut in hujusmodi casibus pro instantaneo haberí queat. Si denique libellationes locorum ad majorem distantiam summa adcuratione instituenda sunt, ex *Geographia* semidiameter uti & ipsa species figuræ Telluris data erit, quo nimirum curvatura horizontalis in censem quoque veniat.

### §. VI.

**M**echanica quemadmodum fundamenta substernit *Aërometriae* & *Hydraulicæ*, qua de re in seq. §. §. 7. 8.; ita ab iis vicissim nonnulla repetit & in ius suos convertit. Inter alia etiam docet Mechanica

nica potentias quascunque inanimatas æque ac animatas machinis ritè applicare. Illarum in numero quoque sunt aer & aqua, quæ elementa, machinis convenientibus aptè adplicata, easdem movendo maxima mortalibus commoda adferunt. Quis autem non videt quântum huic fini conductat indolem ac vires agendi istorum fluidorum ex modo dictis scientiis perspexisse? Et *Aërometria* quidem usum hic habet in primis quatenus vim æstimare docet, quam in machinas exserere possunt venti. *Hydraulica* de legibus agit, secundum quas fluida, præcipue aqua, moventur; celeritatem ac impetum metiri docet, quem fluens acquirit pro diversa vel profunditate vel declivitate alvei, vel amplitudine canalis, vel altitudine lapsus; tradit quoque artificia aquam ad motum perducendi & ad data loca derivandi. Vel ex his itaque asserti nostri veritas satis videtur manifesta. Præterea utile illud in mechanica principium, quod pondera corporum sint massis proportionalia, deducitur ab experimento ope antliæ pneumaticæ instituto, ex quo constat, corpora quæcunque in vacuo Boyleano libere cadentia eadem ferri celeritate. Quis autem ignorat antliam pneumaticam esse instrumentum quoddam aërometricum, ejusque usum, in aëre ex vasis educendo; a cognita vi hujus elastica pendere? Denique ad recte æstimanda corporum pondera absolute requiritur, ut ratio habeatur ponderis in aëre amissi, quod ex principiis hydrostaticis, & cognita aëris gravitate sub dato volumine, determini-

terminandum est. Ex quibus Aërometriæ, & qui-  
dem cum *Hydrostatica* conjunctæ, in mechanicam  
influxus denuo patet.

## §. VII.

**H**ydrostatica principiis Mechanicis superstruitur,  
utraq[ue] autem harum scientiarum Aërometriæ  
fundamenta ponit. Considerat Hydrostatica actionem,  
quam fluida in se mutuo æquè ac in solida i-  
psis immersa aut innatantia exferunt horumque in  
illis gravitationem. Facile autem patet hæc intel-  
ligi satis non posse, nisi præstructa generali theo-  
ria gravitatis & virium prementium, quam tradit  
*Mechanica*. Aërometria occupatur in exponendis  
qualitatibus ac viribus aëris, earumque gradibus de-  
terminandis. Harum præcipuae sunt fluiditas, gra-  
vitas & elasticitas. Quatenus fluidus & gravis est  
aër, iisdem subjicitur legibus, quas circa pressio-  
nem fluidorum & æquilibrium cum aliis, vel ho-  
mogeneis vel specificè gravioribus, obtinere gene-  
ratim demonstrat *Hydrostatica*. Ex his, simul ta-  
men habita ratione elateris aëris, phænomenorum  
tam aliorum quam barometricorum ratio redditur  
&, ex diversa mercurii altitudine, de majori vel  
minori pressione atmosphæræ judicium fertur. Quæ-  
nam ex elasticitate aëris consequantur ex iis co-  
gnoscenda sunt, quæ de corporum elasticorum na-  
tura & legibus motuum tradit *Mechanica*. Vires  
aërem comprimentes adeoque & vim hujus ela-  
sticam, cæteris paribus, densitati ipsius esse pro-  
portionales, per instituta quidem experimenta, sed

non nisi in subsidium rursus vocatis legibus *hydrostaticis* innotuit; quam tamen regulam in compressionibus majoribus non valere, sed elaterem aëris tunc quidem in majori ratione augeri, recentissimis experimentis evictum referunt *Acta E. rud. Lips. A. 1753. p. 65.* Inventio & usus ejusmodi manometrorum, quæ globo metallico, aëre evacuato & ad bilancem appenso, constant, etiam debetur legi huic *Hydrostaticæ*: quod nempe decrementum ponderis corporis solidi in fluido sit æquale ponderi fluidi, sub eodem volumine contenti. Hinc enim ratio pendet, cur globus ille in aëre rarori, tanquam specificè leviori, gravior; contra in densiori levior fiat. Rursus Anemometri, quo vim ventorum metiri liceat, constructio & usus ex principiis pendet mechanicis. Ex his namque petenda est ratio mensuram virium seu potentiarum ineundi, ab elevatione ac sustentatione datorum ponderum, aliisque similibus effectibus determinati gradus, eas æstimando. Et hæ quidem disciplinæ maximum præstant in Aërometria usum; neque tamen aliæ eandem prorsus destituunt. Sic, ex initio crepusculi matutini aut fine vespertini, altitudinem atmosphæræ crassioris determinandi methodus, (quæ an scopo satisfaciat nec ne, nostrum non est h. l. disquirere,) non solum ex *Catoptrica* & *Dioptrica* cognitas supponit leges reflexionis & refractionis luminis, sed & ex *Astronomia* quantitatem hujus refractionis in atmosphæra, ut & modum inveniendi profunditatem solis sub horizonte, ad datum tem-

tempus; quin & magnitudinem semidiametri Telluris ex *Geographia*. Si de figura aut pondere atmosphæræ quæstio sit, itidem ex *Geographia* figuram & superficiem Telluris scire oportet. Quod celeritas soni tuto determinari nequeat nisi consulantur observations & calculi Astronomorum, verbo jam supra §. 5. monuimus.

## §. VIII.

**H**ydraulica a principiis Mechanicis, Hydrostaticis & Aërometricis tota pendet. Agit Hydraulica de motu fluidorum speciatim aquarum; unde Mechanicam, quæ scientia motus absolvitur, magno hic usui futuram, haud difficulter colligitur. Et quatenus fluida illa gravitate gaudent; quæ in Mechanica speciatim de motu gravium, vel libere vel super planis inclinatis dependentium, aut quacunque vi & in quacunque directione projectorum, traduntur, hic locum quoque & usum habent, dum explicandum est: qualis sit motus aquarum, quæ vis ac celeritas, per declivia fluentium, aut libere delabentium, aut quomodo cunque propulsarum ac profluentium. Et generatim quidem virium, quæ vel motum fluidorum producere valent, vel etiam quas ad motum concitata exferunt, ratio & mensura non nisi ex ejusdem scientiæ principiis explicari ac determinari potest, quippe cuius est hæc ipsa omnia in genere evolvere. Machinarum quopue hydraulicarum constructio ac debita applicatio Mechanics eget subsidio.

Quamdiu fluida æquilibrium servant, quietantur;

scunt; illo autem sublato motus sequitur. Ad hunc ergo explicandum apprimè necessaria est doctrina de æquilibrio ac pressione fluidorum: quando scil. illud obtineat, quibusve de causis tollatur; quomodo vis fluidi prementis invenienda quantumque pressio una alteri prævaleat, ut sic definiri queat, qualem determinata ejusmodi pressio motum producere possit. *Hydraulica* ergo *Hydrostaticam*, quæ æquilibrium ac pressionem fluidorum explicat, supponit.

Inter principia s. causas motus aquarum, haud postremum locum sibi vindicat aër. Etenim non solum gravitate ac pressione atmosphæræ elevari & ad motum impelli possunt aquæ, sed etiam elater aëris, compressione inprimis vel calore auctus, similibus effectibus producendis inservit. Hæ itaque aëris proprietates ac vires earumque agendi leges ex *Aërometria* perspectæ esse debent. Inde enim magnam partem pendent artifacia illa, quibus, in variis casibus obviis, prout opus fuerit, aquæ attolli, projici & ex loco uno in alium duci possunt.

### §. IX.

**N**EQUE in Opticam aliæ Matheseos mixtæ partes nullum habent influxum. Sic quatenus Optica inter alia etiam apparentias motus considerat, ex *Mechanica* notiones quasdam & simplicissima principia, quæ ad doctrinam de motu spectant, mutuantur. Quod autem hujus in illa usus his tam arctis limitibus non contineatur, exemplo sint ea, quæ

quæ habet Newtonus *Optic.* Lib. I. P. I. prop. 6. ut & *Princ.* Tom. I. pr. 94. 96. hujusque *Schol.* ubi, admissis certis hypothesibus, demonstrat quomodo, principiis mechanicis convenienter, fieri possit & debeat, ut refractio ac reflexio luminis iis subjiciatur legibus, quas in natura actu obtinere experimentis comprobatum est. Imo cum ipsum lumen motu propagetur, quis non videat scientiam luminis absque mechanicis principiis mancam omnino fore; ipsa enim quantitas motus cæteraque eò spectantia non nisi ex Mechanicis haurienda sunt. Ex observationibus vero & calculis *Astronomorum*, circa eclipses satellitum Jovis institutis, lumen successive, quamvis perniciitate summa, propagari compertum est simulque celeritas, qua idem movetur, determinata.

## §. X.

**I**N *Astronomia maximum usum exserit Optica.* Etenim ingentem hanc machinam mundanam, de qua quicquid habemus cognitions a sensibus incipit, nullo alio quam visus sensu usurpare nobis licet. Unde mox patet apprimè utilem hic esse illam scientiam, qua leges visionis & rerum visibilium apparentiæ explicantur. Omnia autem huc spectantia *Optica* tradit ostendens, qualia sub certis circumstantiis objecta conspectui nostro exhibeantur & quo pacto ex phænomenis vera rerum indoles & natura investiganda sit. Quia nimirum sæpiissimè res adspectabiles longe aliter, quam secundum ipsam rei veritatem, visui se offerunt, judicia de rebus secundum meram apparentiam lata

lata a veritate haud raro quam longissimè disce-  
dere possunt. Hinc neque mirum ideam hujus u-  
niversi, quæ nudis oculis id contemplantibus na-  
scitur, stupendo adeo operi Divino parum admo-  
dum respondere, nec nisi ex principiis opticis at-  
que pluribus observationibus inter se collatis va-  
riorum phænomenorum rationem reddi, corpo-  
rumque cœlestium naturum & motus totiusque  
systematis mundani structuram intelligi & expli-  
cari demum posse. Sic admisso motu Telluris an-  
nuo, ex legibus opticis ad oculum patet ratio: cur  
Planetæ motu adeo irregulari, nunc videlicet tar-  
diori nunc multo celeriori, ferri videantur? inter-  
dum vero retrogradi aut stationarii appareant?  
cur aliis atque aliis Planetis diverso, singulis ta-  
men certo ac definito tempore contingent hæc  
phænomena? cur his rariora illis frequentiora, a-  
liis denique longioris aliis vero brevioris moræ  
sint? &c. Similiter ex motu eodem Telluris in or-  
bita sua atque propagatione luminis successiva o-  
ptimè deducuntur leges peculiaris cujusdam aber-  
rationis fixarum; ex revolutione autem Telluris  
circa axem siderum omnium motus communis fa-  
cillime explicatur. Sic maximum etiam præstat u-  
sum scientia hæc nostra in eclipsibus siderum quo-  
ad singulas determinationes adcuratius exponendis.  
Ad ductum porro legum opticarum ex motu re-  
gulari aliisque phænomenis macularum solis, qua-  
tenus nempe æquali tempore eundem absolvunt,  
lineas parallelas & quidem plerumque curvas de-  
scribunt,

scribunt, prope margines disci tardius, prope medium vero celerius moveri videntur, & præterea ibi contractiores, hic ampliores conspiciuntur; motus hujus sideris circa axem, æquè ac figura ejus globosa, colligitur. Lunæ vero similem quoque figuram competere ex phasibus ipsius haud difficulter perspicit Opticæ gnarus. Exempla alia ut silentio prætereamus proposita nobis brevitas postulat.

## §. XI.

**A**stronomia etiam ex Dioptrica mirum quantum lucrat. Quoniam spatia immensa cœlestia vel ab omni materia vacua sunt, vel saltem non nisi subtilissimam & aëre nostro infinites rariorem continent, radii atmosphærā, Telluri nostræ circumfusam, trajicientes non possunt non in eadem, utpote medio densiori, refringi, idque eo magis quo certius est densitatem ejus propius ad terram continuò crescere. Corpora ergo cœlestia nunquam aliter quam per radios refractos sub conspectum nostrum cadunt. Et quia visio omnis, quæ per radios refractos fit, Dioptricæ est considerationis, vel ex eo jam primum est concludere, hanc inter & Astronomiam commercii aliquid intercedere. Et illa quidem, cuius modo mentionem fecimus, radiorum lucis in atmosphæra nostra refractio quoniam id efficit, ut sidera loco altiori appareant quam revera sunt; Astronomiæ vero plurimum interest altitudines & loca eorum accurate determinari; ex Dioptrica cognitæ esse debent leges refractionis, ut ad ductum earum, ope observationum, quantitas re-

fractionis ad datam quamcunque altitudinem inventatur. Tabulæ quidem refractionum astronomiarum ex immediatis observationibus, circa altitudes stellæ alicujus ad singulos gradus institutis, exhibito tamen simul calculo trigonometrico, construi solitæ sunt. Præterquam vero quod neque hæ methodi a legibus Dioptrices prorsus sint independentes, cum in illis supponendum sit, radium perpendiculariter incidentem irrefractum transfire; etiam ex datis duabus solum refractionibus, ad datas altitudes apparentes, possunt reliquis quibuscumque elevationibus apparentibus convenientes refractiones per calculum, legibus Diopticis superstructum, definiri, assumta in primis hypothesi, ut vocari solet, refractionis rectilineæ, *conf. Act. Erud. Lips.* A. 1750. p. 36. seqq. 87. seqq. ubi egregia quædam & satis facili methodo hoc ipsum problema solutum deprehenditur. Potest vero præterea ex theoria refractionis etiam ratio reddi phænomenorum quorundam, quæ circa sidera observantur, utpote quod, aliquantum licet sub horizonte constituta, in oculos nostros incurrit, quodque figura Solis & Lunæ in ortu & occasu non circularis sed ovalis adpareat. In primis vero maximè insigne momentum Dioptrica ad felicia Astronomiæ incrementa confert mediantibus vitris opticis. Qui enim perpetuus hic est, Telescopiorum usus novum & amplum adeo cœli spectatoribus aperuit campum, tot hujus universi miranda & fidem ferre antea superantia detexit, totque præclaris inventis

tis auctam Astronomiam ad eum, in quo jam fulget, perfectionis apicem deduxit, ut ista omnia paucis dici plane nequeant. Videri equidem posset utilissimum hocce inventum casui fortuito unicè deberi; sed præterquam quod ars vitra poliendi eorumque usus & proprietates, ex Dioptrica notæ, ansam invento isti dederint; neque alias, quam qui scientiæ hujus probe gnarus fuerit, rationem perspicere, cur Telescopia tantam nobis opem ad objecta remota contemplanda ferre queant, aut de vitiis ac imperfectionibus, quibus forte laborant, judicare, aut denique perfectiora reddere hæc instrumenta valet.

## §. XII.

**N**Eque Catoptrica suo in Astronomia usu destituitur. Constat Astronomos, in naturam & causam crepusculorum inquisituros, hanc partim ex refractione, partim vero & quidem primario ex reflexione radiorum luminis in atmosphæra nostra deducere. Hujus itaque reflexionis theoria, quam Catoptrica tradit, cognita hic supponitur. Quod vero in re præsenti præcipuum est, haud parum commodi ex hac scientia capit Astronomia Tubi Catadioptrici inventione, quæ Viro summo Is. Newtono primum debetur. Ex duobus nempe speculis, uno concavo altero plano, vel utroque concavo, & lente oculari convexa debito modo aptatis construitur Telescopium, quod, mediocris licet longitudinis, objecta æquè auget ac alia multo longiora, & præterea liberum est ab iis imperfecti-

nibus, quibus Telescopia alia in primis longiora laborant, ex diversa radiorum refrangibilitate oriundis.

### §. XIII.

**A**stronomiae ex Mechanica quoque haud parum accedit commodi. In observationibus astronomicis rite instituendis per necessaria est exacta temporis mensura. Hanc vero non alia ratione inire licet, quam attendendo ad successivas rerum mutationes, æqualibus intervallis semet mutuo excipientes, speciatim motum corporum æquabilem, qui in primis aptè mensuræ instar hic adhiberi potest, cum, æquè ac tempus, continuum quid sit. Oportet vero eundem non solum solum æquabilem esse, sed simul quoque talem, ut ejus ope exiguae admodum temporis particulæ discerni queant. In hoc itaque efficiendo omne præsentis rei positum est momentum. Cui fini non alia instrumenta satisfacere deprehensa sunt, quam horologia oscillatoria, quorum adaccurata constructio penitiorem Mechanics cognitionem requirit. Præterea, quæ in causis motuum cœlestium explicandis occupatur, Astronomia physica, eo in primis modo tractata, quo ab immortalis nominis Viro H. Newtono mira certitudine ac evidentia excoli cœpit, sublimioribus principiis Mechanicis, præcipue theoria virium centralium, tota pendet.

### §. XIV.

**G**eographia Mathematica aliarum Scientiarum auxilio neque carere potest, in primis vero Astronomie

*miae tantum non omnia accepta refert.* Non solum  
 ex phænomenis eclipsium Lunæ, vi principiorum  
 opticorum, colligi facile potest figuram Telluris ad  
 sensum sphæricam esse, cum in omni situ umbra  
 ejus circularis appareat; sed etiam ex pluribus sum-  
 ma adcuratione institutis observationibus astrono-  
 micis ac mensurationibus geographicis magnitudo  
 diversorum arcuum meridiani terrestris, cœlestibus  
 respondentium, explorata est, indeque figuram Tel-  
 luri sphæroidicam versus polos depresso rem com-  
 petere non minus evictum, quam magnitudo ejus  
 determinata. Porro etiam observationes & calculi  
 Astronomici utramque faciunt paginam in latitu-  
 dinibus ac longitudinibus locorum inveniendis. Il-  
 læ nimur innotescunt quærendo elevationem po-  
 li; hæ vero potissimum easdem eclipses Solis, Lu-  
 næ aut Satellitum Jovis in diversis locis observan-  
 do & ex differentia temporis horarii gradus æqua-  
 toris, inter meridianos eorundem locorum inter-  
 ceptos, computando. Similiter quæ circa statas  
 anni tempestates & longitudines dierum ac nocti-  
 um, diversas Telluris partes inhabitantibus eve-  
 niunt phænomena nonnisi Astronomiæ ope expli-  
 cari possunt, ex qua illa in primis cognita supponenda sunt, quæ ad motum solis apparentem in  
 ecliptica hujusque ad æquatorem obliquitatem per-  
 tinent. Ad lucis ac tenebrarum vicissitudines in-  
 telligendas nosse etiam oportet, quod hemisphærium  
 circiter Telluris simul a Sole illuminetur; quod ex  
 radiorum solis, ad certam profunditatem infra ho-

rizontem constituti, refractione ac reflexione oriantur crepuscula, & quomodo spatium temporis, quo eadem durant, inveniatur; quæ, ut & alia ejusmodi plura, ex *Optica & Astronomia* petenda sunt. Quod etiam *Mechanica* in generali hac Telluris scientia utilis sit, exemplo primum esse poterit immunita prope æquatorem corporum terrestrium gravitas, quippe non solum ad rei ipsius veritatem cognoscendam, sed & ad rationem phænomeni redendum principia Mechanica Mathematicos deduxerunt, adeoque plus quam simplici nomine usum hic exserunt. Observatum nempe est horologia oscillatoria tardius in locis æquatori propioribus, quam ab eodem remotioribus, moveri, utque justo tempore vibrationes suas absolvant, pendula abbrevianda esse. Unde vi principiorum mechanicorum colligitur, gravitatem accedendo ad æquatorem continuo decrescere. Rationem vero phænomeni hujus non aliis reddere poterit, quam qui ejusdem scientiæ cognitione imbutus novit vim centrifugam, ex motu vertiginis Telluris ortam & gravitati contrariam, non posse non ejusmodi effectum causari, cum non solum illa ipsa vis sub æquatore, utpote circulo maximo, maxima esse debeat, in circulis parallelis, quippe minoribus, continuo minor, eodem existente tempore revolutionis; sed & sub æquatore vi gravitatis directe opponatur, in reliquis circulis magis magisque oblique, prout ab illo longius recedunt; sicque, ex duplice hac causa, ibi omnium maxime, hic vero continuo minus, vi gravitatis

vitatis detrahatur, ita quidem ut hujus decrementa  
 quam proxime sint in ratione duplicata cosinuum  
 latitudinum. Apparet autem simul, quomodo me-  
 chanica ejusmodi consideratio diversæ longitudinis  
 pendulorum isochronorum in diversis locis evidens  
 suppeditet argumentum, quo motus Telluris circa  
 axin confirmatur. Porro etiam Illustr. Newtonus  
 figuram Terræ sphæroidicam jam a priori, ex prin-  
 cipiis nimirum *Hydrostaticis & Mechanicis*, demon-  
 stravit. Terram nempe totam fluidam concipit, unde,  
 in statu quietis & æquilibrii, per leges gravi-  
 tatis figuram sphæricam assumere debet. Cum ve-  
 ro particulæ hujus sphæræ, ex accidente motu cir-  
 ca axin acquirant conatum ab axe recedendi, gra-  
 vitati oppositum, eundemque, ob rationes supra in-  
 dicatas, continuo decrescentem versus polos, ubi tan-  
 dem evanescit; non poterit non columna fluidi sub  
 polis columnæ sub æquatore, utpote minus gravi-  
 jam factæ, prævalere, eamque altius attollendo ipsa  
 deprimi, donec æquilibrium inter eas obtineat. Ter-  
 ra itaque figuram sphæroidis ad polos compressæ  
 habeat necesse est, & quidem speciatim Ellipsoidis,  
 quod ex legibus virium centralium porro demon-  
 stratur. Pergit idem ulterius &, inquirendo in ra-  
 tionem vis centrifugæ ad gravitatem absolutam, i-  
 psam axeos Terræ, posita hujus densitate uniformi,  
 ad diametrum æquatoris rationem determinare ag-  
 greditur; quamvis hæc ab ipso inventa aliquantum  
 differat ab illa, quæ ex recentius initis mensuris di-  
 versorum graduum meridiani colligitur. Quemad-  
 modum

modum vero idem Newtonus ex data illa ratione invenire docuit rationem ponderum in diversis terræ locis, ita si hæc a posteriori cognita fuerit, inde vicissim regressus patet ad investigandam rationem axium meridiani terrestris. Si autem accurata sat is experimenta pendulorum ope capta fuerint, ex iis rationem gravitatis in diversis latitudinibus colligere licet, cum ex mechanicis constet gravitates esse ut longitudines pendulorum isochronorum, vel, si ejusdem fuerint longitudinis, in ratione duplicita numeri oscillationum, eodem tempore peractarum.

## §. XV.

**H**ydrographia s. Ars Navigandi aliarum scientiarum subiuncta pariter eget. Quam sit necessaria ad accuratiorem apparum hydrographicarum delineationem exactior cognitio figuræ ac magnitudinis Telluris, & diversæ amplitudinis graduum terrestrium ad diversas locorum latitudines, haud difficulter patet. Porro declinationum solis ac fixarum similesque aliæ Tabulæ Astronomicæ, ut & peritia observations atque calculos astronomicos instituendi, utramque hic faciunt paginam, sicuti acus magneticæ declinatio, quam nosse tanti interest navigantium, vel loci latitudo aliaque ejusmodi in casu quocunque promte reperiri poterunt. Quod ad longitudinem loci cujuscunque maris determinandam attinet, tantopere desiderata utilissimi hujus problematis solutio vel ab *Astronomia* expectanda, postquam exacta condita fuerit Lunæ theoria,

vel

vel à *Mechanica*, si quando inventa ejus beneficio fuerit ratio horologiæ parandi, æquabilem motum servando accurate satis tempus indicantia & in mari adhiberi apta, quo facto longitude loci in quolibet itineris marini puncto omnium facillime innotesceret.

### §. XVI.

**C**hronologiam in *Astronomia* fundari prolixa non eget probacione. Cum enim illius sit in usus vita civilis tempora metiendi ac distinguendi rationem tradere, quorum nulla aptior datur mensura constantissimo corporum cœlestium, speciatim Solis ac Lunæ, motu; necesse omnino erit ut ex *Astronomia* horum siderum motus accuratius cognoscatur. Scilicet non sufficit tempus utcunque in majora & minora intervalla propemodum æqualia distingui, cui fini vel ad solas dierum ac noctium vicissitudines attendendo satisfieri potest; sed ut ratio tempora computandi cum motu, quem diximus, siderum, adeoque cum ipsa rerum natura conspiret, ad ordinem ac decorem in vita civili servandum & multiplicem vitandam confusionem, tanto magis necessarium est, quanto evidenter constat, cum diversa solis præcipue ad Tellurem nostram relatione certas in illa ipsa vicissitudines & statas tempestates connecti.

### §. XVII.

**A**stronomia cum *Geographia* principia etiam præbet *Gnomonice*. Et enim descriptio cujuscunque generis horologiorum tam solarium quam lunarium aut sidereum tota pendet a cognitione motus siderum præcipue solis, &, præter alia principia astronomica & *Geographicæ*, supponit quoque resolutiones nonnullorum problematum ad has scientias spectantium, utpote methodum ducendi lineam meridianam, inveniendi elevationem poli & æquatoris in loco dato &c.

### §. XVIII.

**I**n Architecturam Militarem & Pyrotechniam, quas artus intercedit nexus, alia Matheos capita infusum quoque habent. Inventione D

ventioni pulvri pyri & , quæ inde enata est, Pyrotechnia maxima partem acceptæ referuntur , quæ ad munimenta defendenda & oppugnanda adhiberi hodie solent machinationes; quibus proinde etiam formæ muniendi accommodandæ sunt. Hinc non mirum quod Pyrotechnia singulis Architecturæ Militaris partibus novam plane induxit faciem. Patet itaque assertum nostrum prius.

Quod ad posterius: præterquam quod ex Arithmeticâ, Geometria & Trigonometria nominatae scientiæ haud exiguum capiant utilitatem, qua de re, ut instituti rationem habeamus, nil attinet dicere, verbo tantum indicasse sufficiat, Opticam adminiculo esse ad loca è longinquo in primis delineanda; motum globorum ex tormentis emissorum non nisi ex Mechanica recte intelligi posse; hujus præterea notitiam non parum conducere ad machinas varias construendas, quorum in Pyrotechnia, æque ac munimentorum obsidione ac defensione usus est; Hydraulicam denique opem præstare ad aquas, prout occasio ac necessitas tulerit, in fossas deducendas &c.

### §. XIX.

**S**cientia Navalis a Mechanica in primis complementum perfectionis sua accipit. Quatenus Hydrostatica gravitationem solidorum in fluidis considerat, primum est intelligere, applicacionem principiorum hydrostaticorum usum in Scientia Navalib[us] habere. Ad naves autem bene ædificandas plurimum prodest penitior Mechanicas cognitione. Ejus namque ope astimanda est resistentia, quam in solida exserunt fluida, per quæ moventur. Ab illa itaque etiam pendet ratio construendi naves, quæ minimam in aqua patientur resistentiam. Docet porro hæc scientia, quantum in eo situm sit momenti ut centri gravitatis ratio habeatur, & denique quomodo efficiendum ut vis ventorum, sub datis conditionibus, cursum navis maxime promoveat.

### §. XX.

**H**æc sunt B. L. quæ in præsenti argumento , festinanter licet congesta, conspectui Tuo sistimus. Veremur sane haud imme-

immerito ut materia hæc pro dignitate sua a nobis pertractata sit, quin posteriora forsan multa l. omissa penitus, l. parcus tacta sint; alia ex adverso leviora fusi, quam pro brevitate tractationis, exposita. Te interim, Candide Lector, quo par est officio nec spe prorsus desperata rogare sustinemus, velis hoc quicquid sit opellæ favore Tuo dignari.

Liceat autem nobis, ad usum Algebrae in Hydrostaticis levissimo quodam exemplo ostendendum, sequens subnectere

### PROBLEMA.


*Ut Sphæra cava fluido specificæ leviori innatare queat, invenire diametrum cavitatis, data diametro Sphæra & ratione gravitatis materiae, ex qua Sphæra constat, ad gravitatem specificam fluidi. Dicatur diameter Sphæra a, cavitatis, (quam etiam sphæricam & Sphæræ concentricam supponimus), diameter x, unde crassities Sphærae cavae =  $a - \frac{x}{2}$ . Porro b: c exprimat rationem*

*gravitatis specificæ materiæ illius, ex qua Sphæra constat, ad gravitatem specificam fluidi; d: p vero rationem diametri circuli ad peripheriam. His positis erit volumen integræ Sphæræ =  $a^3 p$ ; cavitas =  $\frac{p x^3}{6}$ ; differentia  $a^3 p - \frac{p x^3}{6}$  =  $\frac{6d}{6d}$  massa solidæ ipsius Sphærae cavae.*

*Si jam hæc in fluido sustentabitur nec subsidet, requiritur ut fluido æqualis voluminis æquiponderet. Posito autem quod cavitas Sphærae vel nullam vel non nisi talem contineat materiam, quæ ponderi materiæ, ex qua constat Sphæra, sensibile augmentum addere nequit, poterit illud pondus æquale censeri ponderi totius Sphæræ. Cum itaque corporum ejusdem ponderis gravitates specificæ sint in ratione inversa voluminum, erit b: c =  $a^3 p : a^3 p - \frac{p x^3}{6}$*

$= a^3 : a^3 - x^3$ , unde porro b: b - c =  $a^3 : x^3$ , ideoq;  $x^3 = \frac{b - c}{b} \times a^3$  &  $x = \sqrt[3]{\frac{b - c}{b} \times a^3} = a \times \sqrt[3]{\frac{b - c}{b}}$ , crassities vero invenienda =  $\frac{1}{2} a - \sqrt[3]{\frac{b - c}{8} \times a^3}$ , quæ si aliquantulum minuatur, Sphæra fluido supernatabit,

Construacio Geometrica si desideretur, illa talis erit.



Laterer recto adscribatur Parabola Apolloniana D AH. In axem AK ex vertice A transferatur  $AB = \frac{1}{2}a$ , ex Berigatur perpendicularis BC ita ut sit  $b : b - c = \frac{1}{2}a : BC = a \times \frac{b - c}{2b}$

tum centro Cradio CA descri-

ptus circulus secabit parabolam in D, unde ducta semiordinata DK dabit quæsitum  $x$ ; si autem DK bifariam dividatur, & pars hæc dimidia auferatur ab AB, residuum dabit crassitatem quæsitam  $a - x$ .

Est enim  $DF = DK - CB = x - a + \frac{b - c}{2b}$ ; ex natura parabolæ

$$\begin{aligned} AK &= \frac{x^2}{a}, \text{ unde } CF = BK = \frac{x^2 - \frac{1}{2}a}{a} \\ &= (AC^2 - CD^2) = CF^2 + DF^2, \text{ h. e. } \frac{1}{4}a^2 + (a - \frac{b - c}{2b})^2 = \frac{x^4}{a^2} + \frac{1}{4}a^2 - \frac{b - c}{b} \times ax + (a - \frac{b - c}{2b})^2 \end{aligned}$$

$$\text{seu } \frac{x^4}{a^2} - \frac{b - c}{b} \times ax = 0, \text{ unde porro } x^3 - a^3 \times \frac{b - c}{b} = 0,$$

quæ est æquatio supra inventa & construenda.

Illa autem æquatio pro inveniendâ  $x$  etiam de corpore cavo cuiuscunq[ue] figura valet, si modo huic exactè similis fiat figura cavitatis. Tum nempe a designet lineam rectam quomodo cunque in corpore isto ductam,  $x$  vero lineam simili prorsus modo determinatam in cavitate. Si enim P designet volumen totius corporis, Q autem cavitatem, ideoque  $P - Q =$  massa solidæ; erit, vi eorum quæ supra diximus,  $b : c = P : P - Q$ , &  $b : b - c = P : Q$ . Quia vero corpora similia sunt inter se ut cubi linearum eodem modo in his determinatarum, erit  $P : Q = a^3 : x^3$ , consequenter  $b : b - c = a^3 : x^3$ , prorsus ut antea. Idem hoc vel exinde patet, quod in invento valore ipsius  $x$ , assumta ratio  $d : p$  evanuerit.

S. D. G.